



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

8. Victoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

VIII. (m) Dum de Marte agimus, *Victoria* quoque, quæ Martis currum circumvolat, quæque ab antiquis inter deas colebatur, est mentio facienda. Depingebatur virginis alata habitu, vultu liberali & blando, capite laureato, manu dextra protensa lauri ramulum aut coronam lauream, læva palmam ostentante. Per *alas* dubia bellorum fors significatur: unde Ovidius lib. 8. Metam.

Inter utrumque volat niveis *Victoria* pennis.

Quidam armatam exhibent vultu hilari, sed pulverulento, manibus cruenta spolia gerentem. Vel etiam dextrâ fertum, sinistrâ vexillum tenentem, & globo insistentem. Quibus Symbolis indicatur Virtutem, maximè militarem, adversis probari; neque sudore tantum, sed etiam sanguine constare belli gloriam.

IX. (n) Sed neque *Pacis* imaginem prætereamus, propter quam, ut diximus, bellum geritur. Aliqui eam representant, accensa face armorum cumulum inflammantem; juxta illud psalmi 45. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Alii Virginem pingunt altera manu ramum oleæ, altera vel cornucopiæ, vel caduceum præferentem; quòd omnia hæc pace, defensa, bello violentur. Alcatus pro *Pacis* emblemate proponit inversam militis galeam, in qua favos & mella conficiunt apes. Idem pro Symbolo *Pacis* pingit coronam spiceam, uvis circumdatam. Apud Pausaniam in *Bœoticis*, Pax sustinet in ulnis puerum *Plutum*: quò significatur, rerum opulentiam à pace foveri. Etiam spicas manu gestat & uvas, quibus frugum designatur copia. Oleâ quoque, lauro & rosis coronatur; ut ostendatur, artium & scientiarum florem à Pace conservari. Sunt qui *Pacem* in curru olivæ frondibus cincto invehunt, eique comites addunt Religionem, Justitiam, Faustitatem, *Tibullus* lib. 1. eleg. 10. *Pacem* sic oculis subjicit.

Interea Pax arva colit; Pax candida primùm

Ducit araturos sub juga curva boves.

Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,

Funderet ut nato testa paterna merum,

Pace bidens, vomérque vigent, ac tristia durî

Militis in tenebris occupat arma situs.



SYM.

(m) Virtus militaris & Victoria. (n) Pacis emblemata, & fructus.